

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 296.

Gesner, Jul. (3^{te} disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7





DISPUTATIO XII.
DE LIBERO AR-
BITRIO CONTRA DE-
CRETA VI. SESSIONIS
 Concilij Tridentini

TRIUM CAPITUM.

- I. *Statum Controversiæ definit.*
- II. *Vera sententiæ ex sacris literis assertionem continet.*
- III. *Insidiosas Conciliabuli captiones detegit, & Augustini sententiæ ab Andrædij calumnijs vindicat.*

Cujus positiones, Deo Duce & Auspice, asserturus est

SVB PRÆSIDIO

SALOMONIS GESNERI
 S. S. THEOLOGIÆ D. ET PROFES-
 SORIS in Inclytâ Witebergâ

M. IOHANNES MÖNCHMEIE-
RVS Saltzensis

ad diem 16. Iunij Anno Christi 1602.

W I T E B E R G Æ,
 Typis VVolfgangi Meißneri.





REVERENDO ET

CLARISSIMO VIRO;

ÆGIDIO HVNNIO S. S.

Theol. Doct. & Profefori in celeberrimâ VVite-
bergenfium Academia Publico; Præceptorî

& Patrono meo perpetuûm ob-
fervando:

NEC NON

PRVDENTISSIMIS, VIRTU-

*te ac Auctoritate honeftiffimis Viris; COS. & SEN A-
TORIBVS REIPVBL. SCHMIDEBER-
GENSIS; Fautoribus atq; Mæcenatibus
fuis plurimûm honorandis;*

Theologicum hoc tirocinium
D. D. D.

*M. Iohannes Mönchmeierus. F.
Respondens.*



DE LIBERO ARBITRIO

THESIS I.

DE Libero hominis Arbitrio, eo, quo institutum est, modo cum deo disputari in tribus capitibus versabimur. In I. Statum controversie principalem definiemus: simulque, quae sit cum nostra tum Concilij Tridentini de hoc statu sententia, exponemus. In II. nostram sententiam e sacris literis confirmabimus. In III. denique, Decretorum Tridentinorum insidiosas equivocationum latebras aperiemus, & quomodo Andradius Augustini sententiam depravet, ostendemus.

TRIA
CAPITA.

DE PRIMO.

II.

Statum opera-precium est accurate cognoscere, partim nostra causa: si enim eum non ad unguem teneremus, aërem potius feriremus, quam disputarem: partim Patrum Tridentinorum, qui eum de industria tegunt, & meris hominibus ludunt, ut & lectorem perturbent, & rem ipsam tenebris involvant obruantque.

III.

Videtur autem huius cognitionem non parum adiuturæ exquisita Nominis interpretatio: quippe quæ multas cognatas quaestiones, quæ τὸ κεφάλαιον huius disputationis principaliter non spectant, sed cognatione saltem quadam attingunt, rescabit, & ad sua loca rejiciet.

IV.

Vocem igitur Liberi Arbitrij neque ad vegetativam neque ad sensitivam neque ad locomotivam animæ potentiam, quatenus illa in naturalibus & civilibus occupata est, hic dilatamus, sed ad solam cognoscentem & appetentem partem referimus. Non etiam de ipsâ substantiâ Mentis & voluntatis:

Lib. Arb. &
notatio
falsa.
I.
II.
III.



IV. non de eâ facultate Mentis & voluntatis, quâ discernuntur hominis actiones ab ijs, quæ sine deliberatione atq; electione vel naturaliter agunt vel violenter impelluntur; accipimus. Non ad eas res, quæ in hac natura corruptione sensibus & rationi adhuc subiectæ sunt, accommodamus. Deniq; de malis quoq; & vitiosis actionibus non usurpamus.

V. Sed nihil aliud Liberi Arbitrii voce hic notamus, quàm Mentis & voluntatis humane d'v'x'iv sive facultatem quandam res divinas sive actiones spirituales peragendi.

VI. Quibus præmissis ad ipsam Controversiæ statum principalem accedimus, eumq; hac questione inclusum proponimus. An homo non renatus, qualis jam est post lapsum, reliquas habeat in intellectu & voluntate sive in Mente & Corde (quibus terminis scriptura utitur) vires quasdam res atq; actiones spirituales vel inchoandi vel etiam perficiendi, ita ut & Deo placeant, & animæ salutem procurent.

VII. Nos Verbo Dei edocti negamus: Et quicquid veram spirituum hominon renatus bene vult & facit, soli Dei gratia, sive spiritus Sancti operationi acceptum ferendum esse contendimus.

VIII. Vi autem & status controversiæ & nostra sententia planius perspiciatur, sequentia sunt notanda. Primum, quid rerum actionumq; spirituum nomine intelligamus: Spiritua- lia dicimus, quæ ad conversionem hominis, fidem, & pietatem pertinent, sicut ea in Verbo Dei, h. e. in Lege & Evangelio proponuntur. Verbi gratia: Agnitio & detestatio peccati, contritio, timor Dei, fides, meditari, assentiri, desiderare & accipere promissionem Evangelij, orare, consolatione se sustentare, novam obedientiam, dilectionem, spem, patientiam & alias virtutes juxta mandata Dei inchoare & prestare: luctari cum securitate, diffidentia, contumacia, veteris hominis passiones & desideria crucifigere, &c.

g. Patet



IX.

Patet igitur ex hac declaratione, nihil hic nobis negocij esse cum Vallâ, qui disputat, nū sit in hominis arbitrio movere pedem dextrum vel sinistrum: nihil cum Pelagiano illo, dicente, si voluero curvare digitum, an semper mihi necessarium erit speciale Dei auxilium? Nihil etiam cum Cælestino obijciente locū Pauli 1. Cor. 7 de libertate nubendi. Faciat quod vult. Cui Augustinus respondet: Quasi pro magno habendū sit velle nubere, ubi de adiutorio divinae misericordiae operosius disputatur. Nihil deniq; cū ijs, qui disputant hominē se habere, ut truncus, saxū, brutū aut simile quid. X.

In Dial.
Hieron:

Apud Aug.
de perfect.
iusticiæ.

Deinde hominis etiam conditio non est negligenda. Et tenenda hoc loco Longobardi distinctio de 4. statibus Liberi Arbitrii. I. In naturâ integrâ ante lapsum. II. post lapsum, priusquam cæperit sanari & renovari. III. quando jam cæpit sanari & renovari. IV. In futurâ gloriâ. Et quidem de primo & ultimo statu non est controversia. Secundi autē tertij diligens habenda est ratio ne confundatur. XI.

4. Liberi
Arb. status.

Præterea, quando dicitur Gratia Dei totū esse adscribendū; attendendū quomodo illud intelligi velimus: nimirū non ita, ut novi motus in conversione Menti, Voluntati & Cordi velut imprimantur, sicut ceræ sigillū imprimitur; aut ut cōversio sit brutū aut violentū aliquid in homine sine motu & actione aliqua mentis, voluntatis & cordis. XII.

Quomodo
Gratia o-
peretur.

Sed necessarium arbitramur, ut in verâ conversione fiant & sint motus aliqui, ut noticia & cogitatio de Lege & Evangelio, desiderium, voluntas & conatus assentiendi; ex quibus oriatur lucta cum securitate, diffidentia & cōtumacia veteris hominis. Eos verò motus à Spiritu S. accendi & excitari. Aliter enim, sicut fabrum uti instrumento inanimato, aliter verò spiritum S. conversionem operari existimandum est. Facit enim ut velimus & possimus intelligere, desiderare, assentiri, accipere, operari. XIII.

Deniq; hoc etiam monendum est, per Gratiā Dei & Spiritus

A 3

ritus



Mediū sive
ὄργανον
gratiæ Dei.

ritus sancti operationem non intelligi raptus Enthusiasticos
extra & præter ministerium Verbi & Sacramentorum, Ver-
bum enim Dei lectum, auditum, cogitatum est medium seu or-
ganum per quod Spiritus S. est efficax Rom. 10. v. 16.

XIV.

Neq; verò homo non potest externo ministerio Verbi uti,
ut audiat, legat & aliquo modo cogitet. Hoc enim & experien-
tia & Scripturæ exempla attestantur. Longè aliter tamen &
audiunt & meditantur, in quibus jam inchoata est renovatio
per Spiritum Sanctum.

XV.

Concilij
Trid: sen-
tentia.

Patrum Tridentinorum sententiã ex Decretis eorundem
colligere plusculum nobis negocij erat daturũ, quòd multis ibi
equivocationibus & sophismatibus luditur. Sed magnas An-
dradio gratias debemus, qui tantã nos molestiã sublevavit,
suamq; & Synodi mentem satis evidenter & sine dissimulatio-
ne explicavit.

XVI.

Verba An-
dradij.

Sic autẽ ille: Liberum Arbitrium sine inspiratione & auxilio
Spiritus non posse sanè efficere spirituales actiones. Sed illud
non ideo fieri, quasi mens & voluntas, qualis est in homine ex
primã nativitate ante conversionem, prorsus non habeat ul-
lam potentiam, ullas vires aut facultates, quæ ad inchoandas
& efficiendas spirituales actiones necessariae sunt: sed ideo, quia
naturales illæ vires & facultates licet nec deletæ nec extin-
ctæ, adeò tamen peccatorum laqueis implicatæ sint, ut homo
non possit se propriã virtute ab illis extricare.

XVII.

Simile
Andradij.

Atq; ut sententia planior sit, hac eam similitudine illu-
strat: Comparat hominẽ nõ renatũ cũ eo qui ferreis soleis deum
ctus est, qui habet quidem insitã & innatam incedendi divitiarum
seu potentiã: sed licet habeat illam, nõ tamen potest eã uti, ut in
actum prodeat, nisi prius vincula rumpantur, quæ motum re-
primunt & retardant.

XVIII.

Ex his luculenter apparet, quæ sit Concilij Tridentini senten-
tia. Hæc videlicet: In Mente & voluntate hominis non renati in
hæc

hac corruptione naturaliter adhuc insitas esse vires aliquas seu facultates qualescungq; ad actiones spirituales: sed illarum facultatum & virium motam seu usum per peccatum reprimi & retardari. Gratiā verò Dei & efficaciam spiritus non simpliciter efficere, & operari in iis, qui renascuntur, novam aliquam divamp aut potentiam incohendi & prestandi motus spirituales, sed tantum vincula rumpere, ut facultas naturalis antea constricta & impedita, jam verò per Gratiā excitata possit vires suas in rebus spiritualibus exerere. Illas autem vires naturales, sicubi imbecilliores sint, sentiunt adjuvari & confirmari per gratiam spiritus Sancti: & ubi non sufficiant, dicunt novum habitum infundi, qui respectum meriti asserat.

XIX.

Hac, inquam, est Patrum Tridentinorum ex Andradij relatu sententia. Gratiā unà cū viribus Liberi Arbitrij habere rationem causa efficientis eorum, qua ad conversionem pertinent. Quæ ex aliis etiam eorum similitudinibus satis superq; liquet: Cujusmodi sunt de egrotante & medico: de aviculâ fumi alligatâ. Et imprimis bellula illa Andradij de stipitis exustione: quâ vires Liberi Arbitrij propinquam actionum spiritualium, Deum verò remotam illarum causam constituit, & motionem Liberi Arbitrij non magis à Dei Gratiâ pendere, quàm à divinâ virtute stipitis exustionem, affirmat. Scite istud Andradi.

DE SECUNDO.

XX.

Nunc sententiam nostram, quam supra posuimus è scripturâ sacriâ, quæ norma debet esse omnium controversiarum, confirmabimus. Vt autem brevitati consulamus, testimoniorum sacrorum genera quaedam constituemus.

Primum



Liberum
Arbit. ante
renovatio-
nem.

XXI.

1. *Primum itaq; quedam dicta loquuntur privatim, asse-
runtq; per lapsum in naturam corruptam omnem divinitatem, atq; fa-
cultatem Mentis, voluntatis & cordis, quam inchoanda & effici-
enda sint actiones spirituales, profus amissam esse. Talia sunt
Eph. 5. v. 8. Ioh. 1. v. 5. Act. 26. v. 18. Eph. 2. v. 5. Col. 2. ver. 13.
1. Cor. 2. v. 14. 2. Cor. 3. v. 5. 1. Cor. ver. 21. Mat. 11. v. 27. Mat.
16. v. 17. Rom. 1. v. 21. 1. Cor. 1. v. 20. Rom. 7. v. 18. & 8. ver. 7.
Ioh. 15. v. 5. Rom. 11. v. 24. 1. Cor. 4. v. 7. Ioh. 6. v. 44.*

XXII.

2. *Secundo multa sacra scriptura testimonia non tantum de
defectu loquuntur, sed ostendunt in locum amissarum virium
successisse vitiosum habitum & tristissimam depravationem in
mente, voluntate, & corde, quod ad motus spirituales attinet,
Rom. 2. v. 5. Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 26. Esai. 48. v. 4. Je-
rem. 17. v. 19. & 13. v. 23. Rom. 7. v. 14. & v. 23. & 8. v. 7. Gen.
6. v. 5. & 8. v. 21. Mat. 12. v. 34. 1. Cor. 2. v. 14. Ioh. 8. v. 34.*

XXIII.

3. *Tertio ea Testimonia, quae describunt liberationem a ser-
vilitate peccati, sanationem & renovationem mentis & volun-
tatis, non tam frigide loquuntur, ut cum quis hominem haben-
tem per se divinitatem ambulandi ex compedibus solvit. Pondere-
mus quae sequentia, Ezech. 11. v. 19. & 36. v. 26. Ioh. 1. v. 5. 2.
Cor. 4. v. 6. Deu. 29. v. 5. Mat. 13. v. 13. 1. Cor. 12. v. 3. Psal. 51.
v. 12. Mat. 16. v. 17. Ioh. 1. v. 12. Ioh. 6. v. 44. Eph. 2. v. 10. Phil. 1.
v. 6. Phil. 2. v. 13. 2. Cor. 3. v. 5. Jacob. 1. v. 17. Luc. 24. ver. 45.
Act. 16. v. 14. &c.*

XXIV.

*Ex his multisq; aliis testimoniis manifestissimum est, Gra-
tiam Dei in non renatis ante conversionem seu renovationem
non invenire divinitatem aut facultatem aliquam sive ligatam si-
ve attenuatam, quod ad motus spirituales attinet: sed inve-
nire 1. defectum virium. 2. Invenire vitiosum
habitum*

habitum. 3. Operari & donare novam vim facultatemq. in mente, voluntate & corde ad inchoandas & efficiendas actiones spirituales.

XXV.

Quando vero Spiritus Sanctus per verbum naturam cepit sanare, accensâ aliquâ scintillâ efficacia & facultatis spiritalis, licet renovatio non statim sit perfecta & absoluta, sed in magnâ infirmitate tantum inchoatâ; tunc nec mens nec voluntas est ociosa, sed aliquos habent novos motus, quos debent exercere meditando, orando, conando, luctando, &c.

Lib. arb. post inchoatam renovationem.

XXVI.

Verum ad primam effectiorem facultatis illius mens & voluntas ex naturalib. suis viribus effectivè nihil conferunt. Simpliciter n. retinenda sunt hæc sententia: Non à nobis ipsis tanquam ex nobis ipsis sed à Deo est inavotus nostra. Sine me nihil potestis. Quid habes quod non accepisti? &c.

XXVII.

Eodem tendit elegans Augustini distinctio inter gratiam operantem & cooperantem. De grat. & lib. arb. cap. 7 Et de corrept. & gras. c. 2. Item de grat. & lib. Arb. c. 16. De dogmat. Eccles. c. 32. de corrept. c. 12. de bono persever. c. 14. & c. 6. Sed de Augustini sententiâ postea plura: nunc ad tertium disputationis vestra caput progrediemur.

DE TERTIO.

XXVIII.

Si Tridentina Decreta & Andradianas similitudines ad hanc doctrinam è sacris literis depromptam conferas; deprehendes eandem inter ea convenientiam, quæ est inter tenebras & lucem, sophisticam & veram sapientiam, mendacium & veritatem.

Decretis Trid. ad sacramentum collationem.

XXIX.

Ne verò strophas illorum etiam ij, qui parum emunctæ naris sunt, primo statim occursum olfacerent; singulari unguento conditæ

B

conditæ



conditas ac delibatas prostituerunt. Illud verò est artificium
 infinitarum equivocationum & amphibolarum, quo incautas
 imperitorum mentes fascinare, eisq; pro clarissimo Sole nebu-
 las venditare studuerunt. Eas vero omnes percensere longum
 nimis foret.

XXX.

Canone 5. anathema fulminant in eos, qui dicunt Liberum
 hominis arbitrium post Adæ lapsum amissum & extinctum es-
 se: nec tamen quo sensu eo in loco liberum Arbitrium acceptum
 velint, explicant. Quid causa? De spiritualibus actionibus (de
 quibus solis illud negamus) affirmare erubescunt: nimis enim
 nimis manifesta sunt scripturae testimonia. Proximum igitur
 fuit, ut generalitate luderent. Idem faciunt capitulo 2. ubi lo-
 quuntur de vi natura in gentibus.

XXXI.

Ita cum dicunt: quia necesse sit hominem assentiri & re-
 cipere gratiam, ideo hominem ipsam non omnino nihil agere,
 rectè possumus cum Augustino respondere: Posset bene intelli-
 gi, si non ab istis quorum sensus notus est, diceretur. Nos quoq;
 concedimus hominem & velle assentiri, recipere, agere, & fa-
 cere. Sed addimus Deum operari & velle & facere. Quid enim
 habes quod non accepisti? Illud verò in quo probando tanto pe-
 re laborant, sed frustra; nimis, pro dolor, verum est, hominem
 posse dissentire, & gratiam, quando offertur, abijcere.

XXXII.

Illud etiam non satis explicatè dictum est, liberum homi-
 nis Arbitrium à Deo morum & excitatum cooperari assentien-
 do. Non pugnamus, si id fieri intelligatur beneficio virtutum non
 naturalium sed à spiritu regenerationis donatarum. Omnino no-
 cum Augustino inter gratiam operantem & cooperantem distin-
 guendum est.

XXXIII.

Cæteras patrum Tridentinorum imposturas in vocabulis
 infirmationis, attenuationis, inclinationis, adjuvare, &c.
 quarum

quarum pleraque cum Pelagianis eis sunt communes, consules
preterimus. Quis enim omnes illorum technas & fraudes
quas ambiguas equivocationibus struunt, enumeret? cum tot
penè sint quot verba. De illâ etiam Lutheri locutione; hominè
ad conversionem seu regenerationem habere se mere passive;
malumus in ipsâ collatione agere, quàm hîc prolixè disputare.
Quàm verè falsovè eam pontificij cavillentur atq; exagitent,
tunc videbimus. Nunc de Augustini sententiâ, quoniam in eâ
præcipuè Andradius præsidium sibi quærit, pauca adtemus.

XXXIV.

Augustinus scripto peculiari libello copulat Gratiam &
Liberum Arbitrium. Et dicit: Vbi ad aliquid faciendum vel
non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur,
satis liberum demonstratur Arbitrium. Item: Ad gratiam
Dei necesse est accedere consensum nostrum, ut bonum nostrum
non sit ex necessitate sed voluntarium. Ex his inferi Andra-
dius: Ergo aliquid quantumcumq; sit, facultatis ad res spiri-
tuales tribuendum est libero Arbitrio.

De sententiâ
Augusti.

XXXV.

Sed respondemus, Augustinum loqui de motu & actione
mentis & voluntatis, sine quibus agnitio sui, contritio, fides,
spes, charitas &c. quam Deus in verbo suo nobis prescribit, nec
incoharî nec effici possunt; ut supra ostensum. Non autem inde
concludit Augustinus, mentem & voluntatem hominis per se &
ex se hoc posse præstare: sed contra ex scripturâ prolixè præ-
bat, mentem & voluntatem hominis non renati naturaliter ex
prima natiuitate non habere virtute nati facultatem inchoz-
andi & efficiendi spirituales motus & actiones, sicut in verbo
præcipiantur.

XXXVI.

Hanc esse Augustini mentem, ex omnibus eius scriptis evi-
dentissimè patet. Sed illius sententias, insignes quidem eas mi-
nimeq; obscuras, hîc allegari chartæ angustia non patitur: Ideo

B 2

lecto.

lectorem vel ad ipsum autorem vel ad D. Chemnitium; quæ in manibus habemus, à quo testimonia ejus satis multa satisq̃ perspicua proferuntur; remittimus. Vbi lector attentus luce meridiana clariùs cernet, quâ fide à Pontificiis Patrum scripta tractentur, quamq̃ apertè aliam eis mentem affingant.

XXXVII.

Præter hanc Augustini disputationem Andrædus pro sua & Tridentini Concilij sententiâ nihil ferè habet. Reliqua n. argumenta quæ agitari solent, obiter tantùm attingit. Ad quæ plana & expedita est responsio, si ea, quæ cum thesi quartâ tum octavâ & sequentibus explicuimus, in memoriam nobis revocemus.

XXXVIII.

Atq̃ hæc de libero arbitrio disputandi gratiâ proposita sufficiant. Deum ardentibus votis oramus, ut gratiâ suâ mentem nostram colustret, ut miseras & nuditatem nostram agnoscamus, omnemq̃ salutis nostræ gloriam & gratiam Filio Dei medico nostro tribuamus, si quid deest, verâ invocatione ad ipsum confugiamus, & velle simul ac facere ab eo impetremus.



99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405





17470c

Retro

VD17







229.

12

TIO XII.
RO AR=
NTRA DE-
SESSIONIS
ridentini

CAPITUM.
de definit.
sacris literis assertionem
diabuli captiones detegit,
sententiam ab Andrady
dicat.

Duce & Auspice, asser-
s est
RAESIDIO
S GESNERI
E D. ET PROFES-
yta Witebergá

MÖNCHMEIE-
Saltzensis
Anno Christi 1602.
BERGÆ,
gangi Meilneri.